



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXXVII. Extensio, & declaratio Brevis circa Confraternitates SS. Trinitatis
Redemptionis Captivorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

XXXVII.

Extensio, & declaratio Brevis circa Confraternitates sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum erectas, & erigendas, & alia nuper emanata, ad Confraternitates à Ministro Generali, & Procuratore Generali Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis erectas, & erigen. cum omnibus clausulis, concessionibus, & Decretis expressis in d. Brevi.

C L E M E N S P A P A X .

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex confirmavit certas Indulgentias, quas Paulus V. concessit Confraternitatibus SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Alias præter sic confirmatas revocasse.

Refert Ministro Generali, & Procuratori Generali Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum facultatem dedisse erigendi d. Confraternitates eiusque præfatas Indulgentias communicandi.

Refert præscripsisse novam formulam in communicatione dictarum Indulgentiarum servandam.

Tenor literarum Pontificis.

Alias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Petri Mercier Ministri Generalis, & Dominici Tafuri in Romana Curia Procuratoris Generalis Ord. Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati certas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiæ relaxationes Confraternitatibus sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis dudum à fel. rec. Paulo PP. V. prædecessore Nostro concessas, ac desuper emanatas ipsius Pauli prædecessoris literas auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus, necnon earumdem Confraternitatum, tam erectarum, quam erigendarum Confratribus, & Confororibus certa tunc præscripta pietatis opera peragentibus, nonnullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiæ relaxationes dicta auctoritate concessimus.

§. 1. Alias verò Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiæ relaxationes, si quæ præter sic confirmatas, & de novo concessas Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ essent, aut quomodolibet prætenderunt, eadem auctoritate perpetuo revocavimus, & annullavimus. Præterea præfatis Petro, & Dominico, ac pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori Generali d. Ordinis, ejusmodi Confraternitates ubi vis locorum erigendi, & instituenti, illisque præfatas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiæ relaxationes, servata tamen ceteroquæ Constitut. rec. mem. Clementis PP. VIII., prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ forma communicandi facultatem impertiti sumus. Ac novam formulam in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque certis anni diebus Fratribus d. Ordinis in eorum Ecclesiis fieri solet, de cetero servandam præscripsimus, & alias prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 2. Clemens PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injunctæ Nobis cœlitus dispensationis munere, spiritualium gratiarum largitiones, ad excitandam, fovendamque Christiidelium pietatem a Romanis Pontificibus pia, prudentique liberalitate factas, ut firmius subsistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio libenter roboramus, easque etiam pari Pontificiæ charitatis benignitate interdum ampliamus, & alia desuper ordinamus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Christiani populi ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor Noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati, & Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cetero fruerebantur, duxerat præscribendas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac

pœnitentiæ relaxationes Confraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis, illarumque Confratribus, & Confororibus eatenus per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos concessas, revocans, & nullius roboris, & momenti fore declarans omnibus utriusque sexus Christiidelibus qui Confraternitates sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubi vis locorum tam eatenus canonice institutas, quam deinceps instituendas imposterum ingrederentur, & habitum, sive scapularium Religionis benedictum de manu alicujus Superioris ejusdem Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, sine alicujus voti emissionem suscepissent, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent plenariam; Ac tam ipsis tunc, & pro tempore describendis, quam jam descriptis d. Confraternitatibus, & Confororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere pœnitentes, & confessi, Sacraque Communionem refecti, & Scapularium d. Ordinis deferentes, nomen JESU ore si possent, sin minus, corde devote invocarent, etiam plenariam.

§. 3. Necnon eisdem Confratribus, & Confororibus, qui similiter vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communionem refecti die Festo SS. Trinitatis, Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria d. Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oravissent, plenariam similiter; Eisdem etiam Confratribus, & Confororibus, qui pro Captivorum redemptione facienda ad partes Infidelium proficiscuntur, si ante discessum vere pœnitentes, & confessi idem SS. Eucharistiæ Sacramentum suscepissent, plenariam pariter; Necnon ipsimet Captivis Redemptis, si idem post reditum intra Mensem egissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

§. 4. Insuper eisdem Confratribus, & Confororibus, qui dictum habitum, sive Scapularium benedictum cum signo Redemptionis nostræ pio cordis affectu gestarent, & semel in die sexies Orationem Dominicam cum versiculo Gloria Patri &c., & totidem vicibus salutationem Angelicam cum eodem versiculo pro pace Christianorum Principum, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, & hæresum extirpatione recitarent septem annos, & totidem quadragenas; Qui vero in Festis Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Agnetis secundo, in quo die dictus Ordo nutu divino fuit institutus, Ordinis, vel Confraternitatum prædictarum Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria visitassent, & ibi ut præfertur oravissent septem annos, & totidem quadragenas; Necnon etiam ipsis Confratribus, & Confororibus, qui una cujuslibet Mensis Dominica die à Superioribus dicti Ordinis præscribenda, in qua de Ordinarii licentia processio fieret, quam appellant Scapularii eisdem processioni vere pœnitentes, & confessi interfuissent, septem annos, & totidem quadragenas.

§. 5. Ipsi similiter Confratribus, & Confororibus pia opera exercentibus tam spiritualia, quam temporalia in peccatorum suorum remissionem, pro Redemptione Captivorum a Turcarum, & aliorum infidelium servitute, septem annos, & totidem quadragenas; Illis verò utriusque sexus Confratribus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui quotidie per annum recitavissent ter Orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutationem

nem

nem Angelicam, & in fine semel versiculum Gloria Patri &c. cum versiculis, & responforiis, ac oratione à prædictis Superioribus præscribendis, & oravissent pro iis, qui Captivi apud Turcas detinentur, ne nomen Salvatoris Nostri abneget, sed fortes in fide Christi persistant, & quanto citius à servitute liberentur semel quotannis, & anni die quo mallet septem annos. Ac eisdem Confratribus, & Confororibus, qui dictos Redemptos processionaliter recepissent, & ad Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium dicti Ordinis, vel Confraternitatis associavissent, si confessi essent, vel saltem confitendi propositum haberent dicto tempore septem annos, & totidem quadragenas; Ipsis quoque etiam utriusque sexus Confratribus, qui cum lumine, si possent, vel sine eo SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad Infirmos deferretur, comitatu fuissent, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effudissent, quinque annos, & totidem quadragenas; Necnon qui corpora defunctorum tam Confratrum & Confororum, quam aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associavissent, & pro eorum animabus oravissent centum dies.

§. 6. Quoties verò Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia, vel Cappella, seu Oratorio dictarum Confraternitatum celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis earumdem Confraternitatum interfuissent, aut pauperes hospitio suscepissent, vel quodcumque aliud pietatis, & charitatis opus exercuissent, toties pro quolibet prædictorum operum, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consuetæ relaxavit.

§. 7. Præterea tunc, & pro tempore existenti Ministro Generali d. Ordinis, seu Generali ejus etiam Procuratori in Romana Curia commoranti, ut hujusmodi Confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes supradictas Indulgentias, servata tamen forma Constitutionis rec. mem. Clem. PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, communicare libere, & licite posset, & valeret auctoritate Apostol. facultatem concessit, & imperitius est.

§. 8. Ac postmodum idem Paulus prædecessor volens Confraternitates sub eisdem Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatæ Mariæ Virginis de Remedio nuncupatæ invocationibus in Ecclesiis Domorum Regularium Fratrum Ordinis præfati per Universum Orbem (ut asserbatur) canonicè institutas, illarumque Confratres, & Conforores qui (sicut dictus Paulus prædecessor acceperat) in una Dominica cujuslibet Mensis solemnem processionem magna cum Populi frequentia peragere solebant, speciali dono decorare, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Confratribus, & Confororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui processioni per eandem Confraternitates in una Dominica cujuslibet Mensis in Ecclesiis prædictis fieri solitæ devote interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent quoties id egissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in binis literis ipsius Pauli prædecessoris, unis die 6. Augusti 1608., & alteris die 6. Novembris 1620. respectivè in simili forma Brevis desuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, & quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis,

ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 9. Cum autem sicut dilectus filius Petrus Mercier Minister Generalis, & Dominicus Tafuri in Romana Curia Procurator Generalis, dicti Ordinis Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt, super Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, quæ Confraternitatibus præfatis auctoritate Apostolica concessæ, seu communicatæ esse asserbantur, variè in diversis mundi partibus exortæ sint controversiæ, quæ, & Christianifideles magnopere perturbant, & gravibus scandalis causam dederunt; ut verò ejusmodi controversiis, atque scandalis ansa præcidatur, omnisque dubietatis tollatur occasio, iidem Petrus Minister Generalis, & Dominus Procurator Generalis plurimum cupiant opportune in præmissis a Nobis provideri.

§. 10. Nos ipsorum Petri Ministri Generalis, ac Domini Procurator. Gener. Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas memoratus Paulus prædecessor Confraternitatibus tam erectis, quam erigendis præfatis, earumque Confratribus, & Confororibus, aliisque personis supradictis per binas suas literas præfatas sicut præmittitur concessit, ipsiusque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illasque eisdem Confraternitatibus, tam erectis, quam in futurum quandocumque erigendis, earumque Confratribus, & Confororibus de novo concedimus.

§. 11. Præterea eosdem Confratres, & Conforores ad pietatis, & Christianæ charitatis erga Christianifideles, qui dura Turcarum, aliorumque Infidelium servitute opprimuntur, exercenda opera, uberiorum gratiarum spiritualium, quarum dispensationem Nobis commisit Deus elargitione incitare cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Canonicè hæctenus erectarum, & in futurum quandocumque erigendarum Confratribus, & Confororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, vel suarum respective Confraternitatum Ecclesiis, vel Oratoria in Nativitatis, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac S. Michaelis Archangeli, Sancti Clementis Papæ, & Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, & Nativitatis S. Joannis Baptistæ festis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, extirpatione hæresum, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione, necnon Captivorum præfatorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in Christianæ Religionis, Catholicæque fidei professione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 12. Illis vero, qui aliquam ejusdem Ordinis Ecclesiam, aut suarum respective Confraternitatum Ecclesiis, seu Oratoria hujusmodi in diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis Nostre,

prout in Missali Romano exprimentur, pariter devote visitaverint, & ibidem sicut jam dictum est oraverint, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & penitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem Ecclesias Urbis in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitarent dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus.

§. 13. Ceterum alias omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes, si quæ præter eas, quas ut præfertur confirmavimus, & de novo respective concessimus, Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessa, & nondum revocatae sint, aut quomodolibet prætendantur, auctoritate, & tenore præfatis perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris, & momenti esse, & fore decernimus, & declaramus. Ac tam præfatis Petro, & Dominico modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali Ordinis præfati, ut hujusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas supradictas à Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem ulla alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes communicare libere, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata tamen cateroqui præfata Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione, facultatem dicta auctoritate earundem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

§. 14. Porro in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque à Fratibus Ordinis præfati certis anni diebus in eorum Ecclesiis fieri solet, abrogata veteri formula, quæ dudum à tunc existente Romano Pontificis in Urbe præfato Vicario in spiritualibus generali composita, & per quoddam Decretum Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum in aliqua sui parte correctâ fuit post Antiphonas, Versiculos, & Oraciones ibidem expressas, de catero servari volumus formulam infra scriptam videlicet - *Dominum Nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratia sue lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas fel. rec. Paulus V., & ejus Successores Sum. Pontifices Ordini Nostrum cum specifica facultate eas Confraternitatibus Nostris communicandi concesserunt juxta Privilegiarum Apostolicorum tenorem, ac Sancta Sed. Apostolica Decretorum dispositionem. Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.*

§. 15. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit in omnibus, & per omnia penissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non

concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Februarii MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

§. 18. Cum autem sicut dilecti pariter Filii Antonius a Conceptione Minister Generalis, & Philippus a Jesu in eadem Romana Curia Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum d. Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt Congregatio præfata, ejusque Superiores, & Fratres quicumque à Jurisdictione, & Superioritate Ministri Generalis, aliorumve quorumvis Superiorum Ordinis præfati Apostolica auctoritate perpetuo exempti reperiantur, ac ipsius Congregationis Minister Generalis, & in Romana Curia Procurator Generalis ejusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erigendi, illisque certas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes communicandi parem habeant ex Indulto Sedis Apostolicæ facultatem, & functio prædicta, quam communicationem Indulgentiarum vocant a Fratibus d. Congregationis Hispaniæ in eorum Ecclesiis pariformiter fieri soleat; Ipsi vero Antonius Minister Generalis, & Philippus Procurator Gen. dignitates, & dubietates super Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, quæ Confraternitatibus hujusmodi ab eadem Sede concessæ sunt, seu prætenduntur exortas pariter recidi plurimum desiderent.

§. 19. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Antonii Ministri Generalis, & Philippi Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes, quas per literas præinsertas confirmavimus, ac de novo concessimus respective omnibus, & singulis Confraternitatibus, sub Invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum per Ministros Generales, & in Romana Curia Procuratores Generalis dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ hætenus, cateroqui Canonice erectis, & in futurum quancumque erigendis, illarumque

Preces Ministri Generalis, & Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum,

Abolutio à Censuris.

Omnes Indulgentias, quas Pontifex confirmavit, ac de novo concessit dd. Confraternitatibus pariter concedit aliis hujusmodi Confraternitatibus erectis, & erigendis per Ministrum Ge-

Con-

1673.

neralem, & Procuratorem Generalem Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. ac concessas esse, & fore declarat. Alias Indulgentias revocatur.

Confratribus, & Confororibus, servata tamen præinfertarum literarum forma, & dispositione auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, ac perpetuo concessas esse, & fore decernimus, & declaramus.

§. 20. Alias vero omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes, si quæ præter sic à Nobis confirmatas, & de novo concessas his Confraternitatibus quovis modo generaliter concessas, & nondum revocate sint aut prætendantur dicta auctoritate harum serie itidem perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus.

Eisdem Ministro Generali, & Procuratori Generali Congregationis Fr. Discalceator. Hispaniæ dat facultatem erigendi dd. Confraternitates eiusque dd. Indulgentias communicandi.

§. 21. Porro tam præfatis Antonio, & Philippo modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali dicte Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, & huiusmodi Confraternitates sub Invocatione Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum pariter erigere, & instituire, illisque omnes supradictas à Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem alias illas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes communicare libere similiter, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata pariter supradictæ Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione facultatem auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impartimur.

Mandat servari formulam præscriptam in Communicatione Indulgentiarum.

§. 22. Caterum in functione præfata quam communicationem Indulgentiarum vocant per Fratres Discalceatos dicte Congregationis Hispaniæ posthac obeunda formulam in præfatis Nostri litteris, sicut præmittitur præscriptam de cætero similiter servari volumus.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes pariter easdem præfatas litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 24. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in litteris præfatis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 25. Volumus autem ut ipsarum quoque literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 3. Junii 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1673. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

I. G. Slufius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Junii par. utraque fol. 592.

XXXVIII.

Indulgentia plenaria perpetua in Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonstratensium in Festivitatibus Assumptionis B. M. V. & S. Augustini, ac Festo S. Norberti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua fit commemoratio Sanctorum dicti Ordinis.

Bullarii Rom. Contin. Pars V.

C L E M E N S P A P A X .

Ad futuram rei memoriam.

Cælestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium Religionem, fovendamque, & incitandam erga Beatos Patriæ cælestis incolas pietatem arbitramur in Domino profuturum.

Exordium.

Exordium.

§. 1. Volentes itaque Ecclesias tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonstratensium à S. Norberto, qui tanquam lucerna ardens supra candelabrum in domo Domini positus, Apostolicis Charismatibus, aliisque eximiiis divinæ gratiæ donis longe lateque refulsit, sub speciali Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ protectione, ac Sancti Augustini regula salubriter instituti, ut condignis frequententur honoribus, & fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo gratiarum spiritualium munere decorare, supplicationibus dilecti filii Francisci Boyrette Canonici Regularis expresse professi, & Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus vere penitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum, tam Canonicorum Regularium, quam Monialium dicti Ordinis Præmonstratensis hætenus erectis, & in posterum quandoque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Augustini festivitatibus, ac die festo S. Norberti prædicti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis præfati commemoratio ibidem fieri solet, necnon quamcumque Ecclesiam ejusdem Ordinis die festo specialis Patroni, seu Titularis ipsius Ecclesiæ, cujus nomen in Martyrologio Romano annotatum reperitur, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus valiturus.

Indulgentia plenaria perpetua visitantibus Ecclesiis Ord. Præmonstratensis tam erectis, quam erigendis in aliquibus festis prout in rubrica.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Julii 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 5. Julii 1673. An. 4.

I. G. Slufius.

Registrata in Secretaria in lib. 4. Brevium Diverforum fol. 184.

XXXIX.

Confirmatio, & innovatio Brevis Pauli V. quo conceditur Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia facultas erigendi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in

F

Ecclesiis